Xll. 3315 (2)

PROLVSIO

DE

PRVDENTIA DISCIPLINAE SCHOLASTICAE REGVNDAE.

PRAEMISSA

DECLAMATIONIBVS VI.

IN ILLVSTRI

SCHOLA GRIMANA

A. D. XIV. SEPTEMBR.

IPSO DIE SCHOLAE NOSTRAE NATALI

IN AVDITORIO MAIORI

HORA IX. MATVTINA HABENDIS

AD QVAS

AVDIENDAS QVAM HVMANISSIME

INVITAT

IO. TOBIAS KREBSIVS

ILLVSTRIS MOLDANI RECTOR.

LIPSIAE

LITTERIS BREITKOPFIIS.

Digitized by Google

PROPYLÄEN

PFLANZEN

DISCIPLINAE SCHOLASTICAE

DECLAMATIONIBVS VE

SCHOLA GERMANA

IN AVSTRIACO MAIORI

IOSEPHO FRANCO EXERCITVS

Bayerische Staatsbibliothek München

DE

PRVDENTIA DISCIPLINAE SCHOLASTICAE REGVNDAE.

Qui adoleſcentum inſtituendorum, gubernandorumque, et totius inprimis ſcholæ regundæ munus, aut honeſtis artibus ambiendo conſequuntur, aut imponi ſibi ab aliis patiuntur, ii etiam atque etiam perpendere debent, ſe ſuſcipere provinciam non ſolum adminiſtratu difficilem, et perquam lubricam, in qua facile titubandi, labandique ſit locus, ſed moleſtiarum etiam, quæ devorandæ ſint, pleniſſimam, adeo, ut ad hunc moleſtiſſimum laborem ſubeundum opus ſit animo, acerbiſſimis rebus, injuriis adeo, perferendis, aſſueto, et quodammodo obdurato, ſtomachoque ad moleſtias duriſſimas concoquendas perquam firmo et corroborato. Qui hanc provinciam ſuſcipiunt, eos ſemper meminiſſe oportet, duplicem ſibi imponi perſonam, alteram, ingenia adoleſcentum acuendi, doctrinæque cum divinæ, tum humanæ cultu perpoliendi, humanitatisque veluti paſtu alendi: alteram, animos ad veram pietatem, probitatem, honeſtatem,

ſtatem, venuſtatemque morum fingendi atque conformandi, verbo, eos feliciores, in ſocietate et conſuetudine cum aliis jucundiores amabilioresque, et Reipublicæ utiliores reddendi. Quæ res, uti eſt juvenibus, totique Reipublicæ maxime fructuoſa, ita cum incommodis multis Præceptorum, moleſtiisque conjuncta. Nam, quemadmodum ipſa inſtituendi, docendique ratio eo nomine ſæpiſſime perquam moleſta et acerba redditur, quod Præceptores ob multorum adoleſcentum vel ingenii ſtuporem, nullis fere artibus expugnandum, vel animi levitatem, huic ætati quodammodo inſitam et propriam, tricies vel quadragies dicta denuo quaſi mana diſcipulis, ut nutrices infantibus, in os ingerere, erroresque ſcriptorum ſexcenties emendatos denuo corrigere oportet; ita morum inprimis formandorum, et perpoliendorum, diſciplinæque regundæ provincia perquam ingrata, acerba, moleſtiarumque pleniſſima et eſt, et eſſe exiſtimatur. Cum enim adoleſcentum, eorum inprimis, quos mobilior, calidiorque ſanguis, et generoſi quidam ſpiritus ſollicitant, ea indoles, ea ratio ſit, ut vel, propter ingenii imbecillitatem, ſapientis, prudentisque diſciplinæ præſtantiam, utilitatem, neceſſitatemque non cognoſcant, vel, ſi cognoverint, ob animi levitatem, ſusque deque habeant, vel denique, ob perverſam voluntatis indolem, effrenarum cupiditatum abblandientium imperio regi ſe, quam veræ utilitatis ratione duci malint: facile conjici, intelligique poteſt, eos et diſciplinam, quamvis magna lenitate mitigatam et temperatam, odiſſe, et Præceptores ipſos, diſciplinæ cuſtodes, ſæpiſſime ut homines morоſos, duros, atroces, quin crudeles adeo traducere, eoque nomine clanculum apud parentes, aliosque exagitare, et, ſi fieri poſſit, in odium, invidiamque adducere. Quod quidem non eſt, quod magnopere miremur. Nam, cum, de veriſſima Quinctii Conſulis apud LIVIVM ſententia, natura ita ſit comparatum, ut, cujus mens in loquendo et agendo nihil præter commodum videt, plerumque parum gratus hominibus ſit: non mirum ſane eſt, Præceptores, qui ſancti legum Scholaſticarum cuſtodes, diligentes-

Digitized by Google

ligentesque disciplinæ exactores esse et debent, et volunt, juvenumque petulantiam, et ferocientem licentiam severitatis veluti vinculis adstringere et coercere student, eaque re veræ ipsorum saluti consultum eunt, plerisque fere omnibus discipulis parum gratos et amabiles esse. Scilicet, nihil dulcius pueris, cirratisque adolescentulis est, nihil crebrius in ore geri, nihil omnibus votis ardentius iis expeti solet, quam nomen *libertatis*. Hanc studiose sectantur, amplectuntur, et, tanquam amasiam aliquam, exosculantur: hanc veræ felicitatis non fautricem solum, sed effectricem etiam putant: hujus insano amore capti, seu ablati potius omnium fere literarum rudes, scholas, tanquam aves implumes nidum, relinquunt. Iam, etsi probe scio, eam fere *libertatis* notionem adolescentes animo suo informatam habere, quæ effrenis licentia potius, et ferociter exsultans petulantia, quam vera libertas dicenda sit: tamen, quoniam illo *libertatis* tantopere jactato, sed male intellecto, vocabulo, tanquam fumo quodam, obnubilati et occœcati perquam difficulter eo perduci se patiuntur, ut istius pernicioſi erroris quasi nubem discutiant, juvenilemque istum morbum expellant, vix dici potest, quam difficilem saepe, molestamque disciplinæ scholasticæ provinciam, et procurationem Præceptoribus reddant, et quam asperi monitoribus sint suis. Nam, quo amantiores, cupidioresque istius vanæ libertatis sunt, quo sæpius, inanis istius, et deceptricis spei pleni, somniant, se tum demum beatos futuros, si quam primum gravi isto, duroque disciplinæ jugo, ut ipsi quidem interpretantur, liberari, et e schola, tanquam e carcere, emitti possint: eo molestius ferunt omnem disciplinam, tanquam isti tantopere jactatæ *libertati* inimicam, eam aversantur, detestantur, eoque graviores et duriores Præceptores putant, qui eos legum, disciplinæque vinculis adstringere, et in officio continere student. Quot, et quam graves exinde oriantur molestiæ, quam acerba eo nomine Præceptorum vita reddatur, et res ipsa docet, et multi, quibus disciplinæ regundæ cura commissa est, ipsis rerum documentis perquam tristibus edocti sentiunt.

Has moleſtias, quas Præceptoribus adoleſcentum ingenia vivacia et inquieta, ſæpe luxurie quadam ferociter exſultantia, objiciunt, quorundam parentum vel imprudentia, vel inhumanitas et importunitas vel crudelis in mellitulos filiolos ſuos indulgentia, (cujus tamen acerba pœnitentia ſæpe, quamquam nimis ſero, ipſos ſubire ſolet,) mirifice interdum auget, qui etiam tum, cùm Præceptor boni viri officio maxime functus, diſcipulorumque rationibus optime conſuluiſſe ſibi videtur, tamen expoſtulatum cum iis, queſtumque injuriam veniunt, et inepta iſta ſua, maleque ſana defenſione liberorum ſuorum Præceptoribus novas moleſtias, quaſi nondum ſatis ab immorigeris eorum liberis allatæ eſſent, adſpergunt. Hinc miſerabiles tot magiſtrorum de ſua miſeria voces et querelæ, quas vel legere, aut audire quædam miſeria eſt. Legant, quibus volupe eſt, cujusdam ſcholæ magiſtri (in Declamatt. Melanchthon. T. I. p. 552. ſeqq.) orationem *de miſeriis Pædagogorum*, et fatebuntur, ſi homo non ludendi cauſa, ſed vere iſta de ſe narravit, miſerabiliorem, durioremque illius ſortem fuiſſe, quam eorum, qui, infelici quodam fato ſuo, in piſtrinum, aut ad Lautumiás compacti fuerint, atque detruſi. Quorſum autem hæc diſputo? non profecto eo, ut aut augeam multorum ſcholae magiſtrorum querelas, qui ipſi in malis ſuis exaggerandis nimis ingenioſi plerumque, luxuriantesque ſunt, aut de mea ipſius ſorte, et conditione conquerar, qui ab eo inde tempore, quo mihi Illuſtris Moldani regundi cura et procuratio commiſſa eſt, ea ſim uſus fortuna, ut vel hoc nomine beatus mihi videar, quod in hac provincia, moleſta plerumque et dura, adminiſtranda nullam fere de moleſtiis, injuriisque perferendis conquerendi cauſam habuerim, non, igitur, eo conſilio id diſputo, ſed ut commoda hac occaſione, qua memoria Illuſtris noſtri Moldani, ante hos CCXV. annos aperti et conſtituti, pia grataque mente recolenda, et celebranda eſt, oſtendam, eſſe rationem quandam, cujus ope difficultates et moleſtiæ diſciplinæ ſcholaſticæ regundæ ſi non plane abſtergi et tolli, minui ſaltem, et elevari poſſint. In quo quidem

loco

loco tractando cum hoc secutus sum, ut sacro sancto Senatui Ecclesiastico Supremo rationem muneris mei huc usque administrati redderem, (et cui potius debeam, aut velim?) ejusque judicio dijudicandam submitterem, tum illud, ut non solum scholarum magistris persuadere studerem, non esse hujus generis homines inter miseros et infelices numerandos, quales multi ipsi se esse et putant, et dictitant, sed ad obstruendos etiam, obdurandosque istarum querelarum fontes solidi quid auxilii, si facultatis meæ sit, afferrem. Scilicet, sunt quædam artes, quibus, tanquam blandis et honestis lenociniis, uti aliorum, ita adolescentum animi capi possunt, adeo, ut, quamvis immorigeri, omnisque fere disciplinæ impatientes videantur, sensim tamen ad flectendum tractabiliores, et ad parendum sequaciores reddantur. Quæ quales sint, et quomodo suo quæque loco adhibendæ, eas hac prolusione strictim attingere, et quasi per transennam cognoscendas proponere constitui. In tota autem hac disputatione ducem inprimis sequemur QVINCTILIANVM, non solum, quia leges nostræ scholasticæ hunc auctorem præ cæteris quam diligentissime, et curiosissime legendum Rectori injungunt, sed etiam, quia una omnium et consentiens intelligentum hujus rei judicum vox principatum in hac doctrinæ, disciplinæque ratione ei defert. Nam, qui inter recentiores de hoc loco exponere instituerunt, v. c. Rollinus in libro *de la maniere d'enseigner et d'etudier les belles lettres*, ii omnes, si gratos dici se, haberique volunt, fateantur necesse est, se sua pleraque fere omnia huic præstantissimo magistro accepta referre, et ex hoc fonte prata irrigasse sua. Hunc igitur ducem sequemur, ita, ut quæ ipsi per hos viginti annos, multis, iisque diversis ingeniis tractandis, et in magna varietate jactati edocti cognovimus, hinc inde adspergenda existimemus.

Quoniam autem omnis, quæ a ratione suscipitur de aliqua re, disputatio ab ipsius vocis explicata notione, reique definitione proficisci debet, ut intelligatur, quid sit, de quo disputetur: relictis omnibus id mihi agendum esse intelligo,

intelligo, ut, quæ voci *disciplinæ*, qua quidem hoc loco utimur, vis sit, poteſtasque ſubjecta, etſi non ſubtiliter, dilucide tamen tradamus, omnemque vocis ambiguitatem, erroremque ex hac diſputatiuncula ſublatum proſcribamus. Quod quidem eo curioſius faciendum arbitramur, quo certius, variis hominum ſermonibus edocti, cognovimus, plurimis, ubi nomen *disciplinæ ſcholaſticæ* audierint, neſcio quid mali, et tremendi mente obverſari. Voce enim *disciplinæ ſcholaſticæ* audita, triſtis et acerba recordatio ſubit illius temporis, quo plagoſi alicujus Orbilii poteſtati ſubjecti interdum partes poſt tergum denudare, et vindicatrices, nimiumque officioſas manus, ipſo virgarum adſpectu terribiles, iracundi magiſtelli ſubire coacti ſunt. Obverſatur etiamnum ſeverum iſtud et atrox imperium, ſæpe verborum minantium tonitru, verberumque crudelium ictu exercitum: terret etiamnum quodammodo triſtis magiſtri imago, virgarum faſce et baculo armati: ſcilicet hoc eſt, ob quod boni illi viri ad *disciplinæ ſcholaſticæ* vocem horreſcant. Sed hæc quidem vocis *disciplinæ ſcholaſticæ* triſtis et acerba notio ex tota hac diſputatione ſublata ſit, penitusque proſcripta. Voci nempe *disciplinæ ſcholaſticæ* vim, poteſtatemque ſubjectam volumus hanc, ut ſit, *ſapiens quædam et prudens ratio, disciplinæ alumnos honeſtis artibus, conſiliis fideliſſimis, admonitionibus amantiſſimis, crebrisque honeſti, rectique præceptis, et, ſi neceſſe ſit, miti ſeveritate etiam, ita regendi, ſenſimque aſſuefaciendi, ut, quod ipſorum officii ſit, id amore magis virtutis, felicitatisque ſuæ ducti, quam pœnarum metu coacti faciendum ſibi arbitrentur.* Hujus *disciplinæ ſcholaſticæ* cura cum ad omnes omnino ſpectet, quorum fidei, doctrinæque juvenes inſtituendi, formandique concrediti ſunt: tamen Rectoris, Capitis quippe ſcholæ, quodammodo propria eſt habenda. Hujus enim inprimis eſt, curare, ut omnia in ſchola recte et ordine fiant: hujus inprimis eſt, diſciplinam prudenter, diligenterque regere, et omnino curioſe videre, ne quid detrimenti res ſcholaſtica capiat.

Omnino, perquam difficilis res eſt, regere hominem in tenera etiam ætate, et officii ſui amantem atque ſtudioſum

Digitized by Google

ſum reddere, in eoque continere. XENOPHON, non minus artibus bellicis, quam ſapientiæ ſtudiis maxime inſignis, (*in præfat. Cyropædiæ*) in hanc rem ita diſputat, ut contendat, omnium artium difficillimam & rariſſimam, ſed eandem etiam præſtantiſſimam eſſe rationem prudentem, animos aliorum regendi, cum homo naturali quodam vitio repugnare iis ſoleat, quorum imperio ſe ſentiat ſubjectum. Quod quidem nemini, humanæ naturæ indolem paullo curatius conſideranti, mirum, aut ad intelligendum difficile videri debet. Nam cum, judice SENECA, (de Clement. I, 24) animus humanus natura ſit contumax, & in contrarium, arduumque nitens, & nullum animal inveniatur moroſius, nullumque majori arte tractandum, quam homo: non difficile intellectu eſt, quantæ artis, prudentiæ, cautionis, & propemodum religionis ſit, magnum aliquem cœtum juvenum, ætatis æſtu ferveſcentium, ſuisque effrenis cupiditatibus nimis indulgentium, atque adeo omnis fere imperii impatientium, ita regere, & blandis, honeſtis tamen, artibus ita tractare, ut, quod fere malunt, non tam duci, quam ſequi videantur, & quod facere coacti deberent, id honeſtatis, utilitatisque veræ ratione commoti ſponte, & lubenter ſibi faciendum eſſe putent. Huc enim omnis inſtitutionis juvenum, prudentisque diſciplinæ ratio ſpectat, ut, quod maximum munus a philoſophia ſe habere profitebatur *) ARISTOTELES, *quæ legum metu alii faciant, ea ſua ſponte agenda ſibi arbitrentur.* Quamvis difficilis autem hæc res & ſit, & habeatur: eam tamen facultatem habere, & multi laudabili exemplo ſuo oſtenderunt, & ratio ipſa docet. Scilicet, adhibenda eſt in tota hac re quædam prudentia & circumſpectio, accurata humani animi conſideratio, diverſorum ingeniorum tractandorum cognitio, rerum aliquis uſus, & aliæ quædam artes, juvenum animis capiendis, retinendisque aptæ: quæ quales ſint, age, paullo enucleatius & copioſius, quantum quidem hujus Proluſionis anguſtiæ capiant, oſtendamus.

In

*) Τὸ ἀνεπιτάκτως ποιεῖν, ἃ τινες διὰ τὸν ἀπὸ νόμων φόβον ποιοῦσι. Laert. V. 20.

In artibus diſciplinæ ſcholaſticæ prudenter regundæ primam poſuerim hanc, ut Præceptor æqvabili omnes diſcipulos amore complectatur, atque certa iſtius ſinceri ſui erga eos amoris documenta & qvaſi pignora præbeat, iisque non verbis ſolum, ſed ipſis rerum teſtimoniis perſuadere ſtudeat, nihil magis ſibi curæ, cordique eſſe, qvam ipſorum ſalutem, & qvæcunque dicat, ſuadeat, moneat, præcipiat ex uno in ipſos amore, tanqvam fonte, promanare. Sapientiſſimum enim eſt, ipſaque experientia, graviſſima hujus rei teſte, confirmatum, præceptum: *ſi vis amari, ama.* Hoc enim amore, adjuncta comitate, blanda illa animorum conciliatricula, diſcipulorum animi ita capiuntur, ut, niſi omnis amoris, humanique ſenſus vim amiſerint, ſinceriſſimo amore talem ſibi præceptorem proſequendum putent. Hujus officii amoris Præceptorum erga diſcipulos eo major eſt neceſſitas, quo certius ipſis perſuaſum eſſe debet, ſe, cum primum aliorum liberos curæ ſuæ, fidei, doctrinæque commiſſos viderint, parentum ipſorum vicem ſuſtinere, animumque adeo paternum induere, & æque ſollicitam diſcipulorum ſuorum curationem habere debere, ac parentes liberorum, quos Natura ipſa iis commendarit. Qvi igitur in diſciplina ſcholaſtica prudenter regunda feliciter verſari, ſuoque officio & cum ſua ipſius voluptate, & diſcipulorum fructu fungi vult, is QVINCTILIANI illud (Inſtitutt. Orat. II, 2, 4.) commendatiſſimum ſibi habeat, inque munere ſuo obeundo, ut normam aliquam, ſequatur: *ſumat ante omnia* Præceptor *parentis erga diſcipulos ſuos animum, ac ſuccedere ſe in eorum locum, a quibus liberi traduntur exiſtimet.* Quod qui in officii ſui obeundi ratione negligunt, & non, niſi pœnarum metu incuſſo, diſcipulorum animos parentiores ſibi reddere ſtudent, ii ſæpe, non ſine ſumma animi ægritudine, ipſo rerum uſu, perquam triſti, edocti, cognoſcunt, ſe parum in diſciplina regunda profeciſſe, & diſcipulorum animos acerbaſſe magis, & a ſe abalienaſſe, quam amicos ſibi, & benevolos, atque adeo ad parendum ſequaces reddidiſſe. Quod quidem non mirum iis videri debebat. Nam cum animi, a Natura bene informati, ea ratio, ea indoles

ſit

Digitized by Google

ſit, ut nemini, niſi amice præcipienti, aut docenti, aut utilitatis cauſa ſuadenti, & imperanti adeo parere velit, & ſequi, quam trahi malit: facile intelligitur, juvenes, generoſi inprimis ſpiritus, non alia facile ratione, quam blandis quibusdam artibus, tanquam honeſtis veneficiis, allici & capi poſſe, ut Præceptorum conſiliis, admonitionibus, præceptis, & imperiis adeo æque lubenter & officioſe parendum ſibi exiſtiment, ac blandorum parentum voluntati. Prudentiæ igitur Præceptoris erit, etiam ibi, ubi cum imperio aliquid edicendum, diſcipulisque injungendum ſit, rationem tenere hanc, ut cum iis, ut erectæ, liberalisque indolis juvenibus, humanitatisque ſtudioſis agat, nihilque facile injungat, niſi quod antea ipſorum rationibus & felicitati utiliſſimum eſſe perſuaſerit. Quod quidem facile efficietur, ſi diſcipuli prius eam ſibi perſuaſionem induerint, quicquid admonitionum, imperiorumque Præceptoris ſit, id, quoniam ab animo amico, benevolo, & paterno proficiſcatur, non niſi huc ſpectare, ut ipſorum ſalus & felicitas, cujus cura & tutela Præceptoribus commiſſa ſit, conſervata amplificetur. Hanc autem de ſincero noſtro in ipſos amore opinionem, perſuaſionemque iis facile ita afferemus, ſi primo lubenter & cum voluptate inter eos ſæpius verſamur, blande eos alloquimur, interrogati comiter reſpondemus, non interrogantes ultro percontamur, nec inhumane, ſuperbeque tractamus, verbo, ſi iis ita utimur, ut indulgentes, iidemque prudentes Parentes liberis uti ſolent ſuis. Hic Præceptoris amor, vultu, verbis, totoque inſtitutionis actu declaratus, non ſolum hoc efficiet, ut diſcipuli amori illius amore reſpondeant, ſed hoc etiam, ut docentes libenter audiant, nec, qui adoleſcentum fere mos eſt, ſubſtrictis veluti auriculis horam, quæ ſe e ſchola, tanquam carcere aliquo, emittat, anxie expectent. Magnam etiam habet vim ad amorem diſcipulorum conciliandum, ſi in erroribus, delictisque parvis, non tam e malitioſa petulantia, quam e juvenili levitate, oſcitantique negligentia profectis, non ſeveri diſciplinæ exactores ſumus, ſed talia delicta aut juvenili levitati condonamus aut ver-

Digitized by Google

bis tantum, his tamen benevolis magis, quam amaris & contumelioſis, caſtigamus: ſi interdum diſſimulamus, ea vidiſſe, vel cognoviſſe, & tamen commodo admonendi tempore diſcipulos docemus, eorum delictorum non ignaros nos eſſe, & benevole, amanterque admonemus, leges ſcholaſticas paullulum connivere illas quidem, non autem iis dormire, ut diligentiſſime in poſterum caveant, ne hujus, aut alius generis delicti rei reperiantur. Scilicet, imitemur & hic indulgentes ſuo in liberos amori parentes, qui etiam vitia eorum non magna moderate ferunt, & mollire ſtudent:

- - - - *Strabonem*
Appellat Pætum pater, & Pullum, male parvus
Si cui filius eſt, cetera,

Eſt enim locus HORATII notus. Porro, in datis penſis corrigendis prudens Præceptor rationem tenebit hanc, ut, de ſapienti QVINCTILIANI (Lib. I. Inſtitutt. 2, 7) conſilio, non diſſimulet quidem, quæ falſa & emendanda ſunt, in emendando autem neque acerbus, neque contumelioſus ſit, cum omnis emendandi ratio, conjuncta cum objurgatione contumelioſa, animos diſcipulorum & a Præceptoribus, & a literis ipſis adeo ſæpe alienos reddere ſoleat. Ad amorem denique diſcipulorum nobis comparandum permultum faciet, ſi iis otium, vacationemque a literis unam & item alteram horulam, concedimus, præſertim ſi ſuo officio ſatisfeciſſe intellexerimus, eosque agere paullo liberius, honeſtoque & liberali homine digno modo languentes fractasque corporis & animi vires recreare permittimus. Hæc venia, neque importune, neque nimis ſæpe conceſſa, uti & valetudini corporis tuendæ, animique viribus reficiendis perquam ſalubris eſt: ita vix dici poteſt, quam blandam habeat vim, ad amorem diſciplinæ noſtræ alumnorum nobis comparandum, alendum, & confirmandum, adeo, ut, generoſa qvadam, & nobili humanitatis, obſequiique æmulatione & inſtituendi laborem, & diſciplinæ rationem jucundiorem, facilioremque reddant. Illud autem prudens, ſalutisque diſcipulorum ſuorum amans Præceptor ipſe intelliget, neque omnem iis ludendi licentiam, ſed

eam

Digitized by Google

eam tantum, concedendam esse, quæ ab honestate & decoro non sit aliena, neque nimis freqventes & immodicas vacationes a literis colendis dandas esse. In quo quidem semper memor erit illius præcepti FABII (Institutt. I, 3. 11.) *Modus sit remissionibus, ne aut odium faciant negatæ, aut otii consuetudinem nimiæ.*

Enim vero, etsi amor Præceptoris erga discipulos magnam vim habet ad eos capiendos, & in officio suo continendos: tamen, cum solum amorem, & blandam quandam indulgentiam sæpissime adolescentibus ad liberiorem pro lubitu agendi licentiam, cupiditatumque lubidinem explendam occasionem & quasi ansam præbere, tristis experientia doceat: cum illo amore *auctoritas* vinculo necessario & arcto ita conjungenda & colliganda est, ut, si unus & item alter effrenis petulantiæ adolescens amori Præceptoris locum non concesserit, auctoritatis qvasi imperio in officio contineatur. Scilicet *amor* & *auctoritas* Præceptoris mutuas sibi opes, adjutrices quasi manus porrigant, mutuumque auxilium ferant, ita, ut, ubi blanda amoris vox a juvenibus, levis plerumque, sæpe etiam præfracti, animi, non audiatur, acerba auctoritatis vis sentiatur. Magna sane hic prudentia, magna cautione opus est. Qvi enim solius amoris blanditiis concreditos discipulos regere, & in officio continere volunt, ii aciem auctoritatis hebescere patiuntur, suaque intempestiva, & quodammodo crudeli, indulgentia, juvenes, ipsos ad effrenem licentiam proclives, suis cupiditatibus, lubidinibusque libere & impune indulgere permittunt. Qvi ita rationem disciplinæ scholasticæ instituunt, ii profecto parum memores se esse sapientis illius præcepti HORATIANI (Lib. I, Sermon. 2) ostendunt: *Puerum rege, qui, nisi paret, imperat.* Et quam aliam causam esse dicamus, quod multi adolescentum disciplinæ frena mordere, imperiique veluti jugum excutere sæpe audent, quam hanc, quod antea nimis blande & molliter tractati imperium aliquando necessario exercendum, graviter indignati insolenter detrectant? scilicet est in hominis animo quædam cupiditas, omnis imperii detrectandi, & suo unius arbitrio, quic-

quid lubeat, agendi. Cujus rei indicia in tenerrima etiam ætatula infantum jam animadvertere licet, qui, ubi nutriculam lubidini ſuæ adverſari ſentiunt, illico in ploratus erumpunt, & manibus, pedibusque indignatiunculam ſuam, & iram adeo, quamquam ſine viribus vanam, produnt. Prudens igitur temperatio & colligatio amoris & auctoritatis facienda eſt, adeo, ut niſi blanda illius invitamenta diſcipulos ad officium allicere poſſint, hujus ſeveritas paullo acerbior cogat. *Auctoritas* autem, quæ in Præceptore cum ad inſtitutionem, tum ad diſciplinam regundam neceſſario requiritur, non cernitur, ut multi, opinionis errore decepti, ſibi perſuadent, in affectato vultu triſti, auſtero, minaci, in verbis detonantibus, pugnisque expediendis, & aliis rebus, aptis illis quidem ad terrorem aliquamdiu diſcipulis incutiendum, minime autem ad auctoritatem, reverentiam, obſervantiamque Præceptori comparandam. Longe aliæ artes, (*media* barbare dicunt) eæque honeſtiores ſunt, quibus auctoritas & parienda & tuenda eſt. Nempe cum *auctoritas* in univerſum nihil aliud ſit, quam *inſignis quædam opinio, quam alii de noſtra virtute, honeſtate, doctrina, aliisque dotibus amabilibus habent:* facile intelligitur, commodiſſimam, tutiſſimam & unicam viam auctoritatis apud diſcipulos conſequendæ eſſe hanc, ut Præceptor non vana quadam, & deceptrice ſpecie, verborumque inaniúm pompa, ſed ipſis rerum documentis diſcipulis ſuis inſignem quandam de ſua pietate, probitate, honeſtate, doctrina, docendi facultate, & cura ſalutis diſcipulorum afferat opinionem, adeo, ut hanc ſibi perſuaſionem induant, omnia dicta & conſilia Præceptoris, ut pii, probi, prudentis, diſcipulorumque ſuorum amantis, ad veram utilitatem, ſalutemque ſuam ſpectare, doctrinas autem ipſius, ut viri docti, artisque ſuæ periti, eſſe eas, quæ ipſos indies & a bonis literis inſtructiores, venuſtateque morum politiores deddere poſſint. Hanc opinionem ſi de Præceptore ſuo imbiberunt, reque ipſa quotidie magis, magisque confirmari intellexerunt: vix fieri poteſt, quin ejusmodi Præceptor magnam apud diſcipulos conſequatur auctoritatem, & non minorem reverentiam ſibi com-

Digitized by Google

comparet, quam amorem. Permultum etiam facit ad auctoritatem Præceptori comparandam, si non solum plurimus ei est de honesto, rectoque sermo, sed pietate etiam honestate, probitateque morum, & exemplo honesto laudabilique discipulis suis præire studet, ne, quæ vitia in iis reprehendat, & castiget adeo, eorum labe ipse contaminatus inveniatur. *Carendum* nempe *Præceptori est, non solum crimine turpitudinis, sed etiam suspicione.* Nihil enim magis ineptum, & ridiculum, nihil turpius & est, & habetur, quam in alio id reprehendere, quin castigare velle, cujus reus ipse reperiare. Qui hanc personam aut sustinet, aut sibi arrogat, ut mores aliorum reprehendat, & delicta puniat, quis huic facile ignoscat, si eo ipso nomine reprehendendus videatur, & a sui officii religione recessisse deprehendatur? Quis ei Præceptori facile fidem habebit, qui v. c. mansuetum, levem, & in condonando facilem animum copiosa & gravi oratione mirifice prædicat, & commendabilem, amabilemque reddit, & ejus præstantiam, necessitatemque luculentis rationibus confirmat, ipse autem notabili vitio inter alia insignis est hoc, ut in eos, a quibus injuriæ aliquid passus est, acerbitatis suæ virus quavis occasione, insidiose capta, evomere, & malitiosam istam ulciscendi cupidinem explere studeat? Scilicet hoc est discipulos vita & moribus docere! Talis auctor doctrinæ de moribus, & honestatis magister similis mihi videtur illi Salætho Crotoniatæ apud LVCIANVM, (*Pro merced. conduct.* T. I. p. 486. Edit. GRAEVII) qui cum legem durissimam Crotoniatis in adulteros tulisset, ob eamque in admiratione magna esset, paullo post cum sui fratris uxore in adulterio est deprehensus: aut illi pharmacopolæ, de quo apud eundem LVCIANVM l. c. est, qui cum præsentem medicinam tussis expellendæ venditaret, eaque affectos statim se liberaturum jactaret, ipse interim tussi misere torqueri, & fere enecari cernebatur. Verbis sane vix exprimi potest, quam pernicioſam vim perversi Præceptorum mores in animis discipulorum teneris habeant, & quam facile iis persuasionem afferant, sibi quoque perpetrare turpe non esse, quod suum magistrum facere vident. Nam, ut recte QVINCTILIANVS

(Lib.

(Lib. I. Inſtitutt. 1, 5.) *natura tenaciſſimi ſumus eorum, quæ rudibus annis percepimus, & hæc magis pertinaciter hærent, quæ deteriora ſunt.* Quodſi rudes, integrosque diſcipulorum animos a vitiorum conſortio Præceptoris ſanctitas tutos præſtare, & religioſe cavere debet, ut ne mores ipſorum verbo aliquo turpi, ſermoneque inhoneſto, veluti contagione quadam, inficiantur, cum nulla vox inhoneſta impune ad eorum aures perferatur: quanto curioſius Præceptori cavendum eſt, ne vita, exemplo, moribusque inhoneſtis & indecoris diſciplinæ ſuæ alumnos corrumpat, & incaute ad peccandi libidinem irritet. *Præceptor*, de præcepto QVINCTILIANI. (Lib. II. Inſtitutt. 2. 5) *nec habeat vitia, nec ferat.* Quare, ut Præceptor & auctoritatem ſibi comparet, & diſcipulos habeat parentiores, ad obediendum ſequaciores, ſuique officii ſtudioſiores, id inprimis datum ſibi exiſtimet, ut & ſe ipſum virum probum, honeſtumque vita ipſa, moribusque præſtet, & eorum animos accurata religionis cognitione inſtruat, ad pietatis, virtutis, honeſtatisque ſenſum & amorem concipiendum concitet, ſtudioque veri honoris, non vanæ iſtius & inanis gloriolæ, quam vulgo *ambitionem* vocant, inflammet. His enim artibus, tanquam acribus calcaribus, facile eos inſtigabit, ut ſacroſanctæ religionis auctoritate, virtutis, honeſtatisque amore, veri honoris ſenſu, veræque felicitatis ſtudio commoti ſuum ſibi quisque officium eum voluptate aliqua agendum arbitrentur. Vix dici poteſt, quam alte religionis, virtutis, honeſtatisque præcepta in animos puerorum, adoleſcentumque teneros adhuc & integros deſcendant, quam altas ſenſim radices agant, & quam lætos paullatim fructus proferant, præſertim ſi a Præceptore, quem ſalutis ſuæ amantiſſimum cognoverint, ipſis dantur, animis inprimis adhuc teneris, atque adeo ad accipienda ſalubria præcepta mollibus, & ad ſervanda tenacibus, nec perverſarum de rebus divinis opinionum tanquam veneno infectis. Plurimum ſane refert, mature in teneros adoleſcentum animos religionis, virtutis, honeſtatisque ſemina ſpargi, & ſubinde Præceptoris, tanquam boni, & diligentis cultoris, præceptis ſaluberrimis, fide-

fideliſſimis admonitionibus, & cohortationibus, veluti nutrimentis ali & corroborari, nutriendoque perduci eo, ut, tanquam teneræ arbores, indies magis, magisque ſurgant, &, maturis viribus, fructus proferant, uti Præceptoribus dulces & gratos, ita Reipublicæ utiles & ſalutares. Nam, ut recte QVINCTILIANVS, (Inſtitutt. Lib. I, 1, 5.) *natura tenaciſſimi ſumus eorum, quæ rudibus annis percepimus, ut ſapor, quo nova imbuas, durat, nec lanarum colores, quibus ſimplex ille candor mutatus eſt, elui poſſunt.* Omnibus hominibus benefica Natura quosdam quaſi igniculos virtutum, honeſtarumque rerum indidit, qui, honeſta aliqua ratione, tanquam flabello quodam, ſuscitandi, & quibusdam nutrimentis alendi ſunt. Nihil aptius autem, nihil efficacius eſt ad hos quaſi ſopitos virtutum igniculos ſuscitandos, & inflammandos quam frequens Præceptoris ſermo de religione, virtute, honeſto, decoro: cujus ſermonis, ſæpius auditi, diuturnitate & quaſi familiaritate juvenum animi, qui quidem non plane ad omnem turpitudinem abjecti, & ad honeſti ſenſum obtuſi, contractaque prave agendi conſuetudine plane corrupti ſunt, ita ſenſim virtutum pleni concitabuntur, ut virtute, probitate, honeſtateque nihil præſtantius, nihil amabilius, nihilque adeo ſtudioſius expetendum ſibi arbitrentur. In quam rem operæ pretium fuerit, QVINCTILIANVM, (Lib. II. Inſtitutt. 2, 8.) ſapienter & hic præcipientem, audire, ut, quæ diximus, vim iis, auctoritatemque addat. *Plurimus ei,* Præceptori inquit, *de honeſto ac bono ſit ſermo. Nam quo ſæpius monuerit, hoc rarius caſtigabit. ..... Ipſe aliquid, immo multa quotidie dicat, quæ ſecum audita referant. ... Licet enim ſatis exemplorum ad imitandum ex lectione ſuppeditet, tamen viva illa, ut dicitur, vox alit plenius, præcipiuntque præceptoris, quem diſcipuli, ſi modo recte ſunt inſtituti, & amant & verentur. Vix autem dici poteſt, quanto libentius imitemur eos, quibus favemus.* Hæc frequens Præceptoris ad virtutem cohortatio, hæc crebra honeſtatis præcepta alte in animos erectæ indolis juvenum deſcendent, vimque habebunt hanc, ut non ſo-

lum illa honeſtarum rerum ſemina, quæ humanæ mentes Naturæ beneficio gerunt, crebra fidelis Præceptoris admonitione non aliter, ac ſcintilla levi flatu adjuta, ſuum quaſi ignem explicent, ſed diſcipulos etiam ſenſim perducant eo, ut liberali Præceptoris diſciplinæ eo lubentius pareant, quo acrius ſe virtutum, rerumque honeſtarum quaſi ſtimulis ad eam rem ſentiunt incitari. Quid? quod hæc aſſidua Præceptoris opera, quæ in virtutis, honeſtatisque præſtantia, utilitateque laudanda & commendanda verſatur, paullatim conſuetudinem, facilitatem, cupiditatemque honeſte agendi, juvenum animis inſtillabit, adeo, ut, quod TACITVS (de Mor. German. c. 19.) de Germanis prædicat, *plus boni mores* apud eos *valeant*, *quam* apud alios *bonæ leges*.

Sed ad diſciplinam ſcholaſticam, e juvenum utilitate, ſcholæque ſalute regundam, requiritur inprimis prudentia Præceptoris hæc, ut, cum primum munus inſtituendæ, regundæque juventutis ſuſceperit, relictis omnibus uniuscujusque diſcipulorum ingenium, indolemque exploret, &, quantum fieri poſſit, intimos animorum quaſi receſſus rimetur, ad quorum diverſitatem non docendi ſolum & inſtituendi, ſed gubernandi etiam rationem dirigat atque componat. Eſt quidem hæc res, propter animi receſſus altos, magnasque latebras, paullo difficilior, & non tam oratione docenda, quam curioſa obſervatione, experiundoque cognoſcenda, ad felicem autem inſtitutionis, diſciplinæque ſucceſſum maxime neceſſaria & fructuoſa. Hac enim diverſitate ingeniorum, animorumque cognita, eo facilius Præceptor perſpicere poterit, qua arte cujusque ingenium ſit formandum, animusque fingendus, & blanda quaſi vi capiendus. Omnes enim omnino diſcipulos, in cœtu præſertim frequentiori, atque adeo in magna ingeniorum, animorumque diverſitate uno, eodemque doctrinæ, & diſciplinæ genere continere velle, id vero eſt quodammodo cum ratione ipſa inſanire. Quodſi facere inſtitueris,

Infelix

Infelix operam perdas: ut ſi quis aſellum
In campo doceat parentem currere frenis.

Sunt enim, ut vere QVINTILIANVS (Lib. I. Inſtitutt. 3.) *niſi inſtiteris, in literis remiſſi: quidam imperia dedignantur: quosdam continet metus, alios contra debilitat, et dejicit: alios continuatio, aſſiduitasque extundit, talesque, quales eſſe volumus, reddit: in aliis plus impetus facit: in aliis calcaribus, in aliis frenis utendum eſt, ut hi petulantiæ, inſolentiæque audacia exſultantes, reprimantur, illi cunctantes et verecundantes incitentur: alios mordebit objurgatio, alios in officio continebit metus: alios juvabit laus; alios excitabit ſpes præmioli cujusdam conſequendi.* En tibi ſapientiſſimum præceptum, regulam ſaluberrimam, ad cujus normam omnes ſcholarum magiſtri, ſi in adminiſtranda provincia, ipſis commiſſa, feliciter verſari volunt, ſuam docendi, diſciplinæque rationem inſtituere, et exigere debent. Ingenii autem, animique juvenum cognoſcendi commodiſſima occaſio captanda eſt tum, cum una et item altera horula a literis colendis vacua, honeſtæ animi recreationi, corporisque exercitationibus conceſſa, quoniam ſibi ſolis relictos ſe, atque adeo, cuſtodibus, arbitrisque remotis, liberius et ſimplicius agere poſſe putant, ſuum quisque pectus intimum quaſi denudant, veramque animi indolem produnt. His igitur horis, quibus mores juvenum inter ludendum ſimplicius ſeſe detegunt, perquam opportunum erit, a Præceptore, quaſi e ſpecula aliqua, nec opinos obſervari, eorumque voces, actiones, moresque adnotari. Prudentiæ in diſciplina ſcholaſtica regunda etiam eſt hoc, ut, quoniam adoleſcentuli, ſuæ ſibi licentiæ relicti, nihil agere, et, nihil agendo, male adeo agere ſolent, Præceptor eos non facile ſolos relinquat, ſed ſæpe nec opinos opprimat, et, quos officii ſui immemores offenderit, mature commoneſaciat, ſuoque adeo frequenti nec opino interventu ita aſſueſaciat, ut ſibi etiam ſolis relicti intra officii ſui fines contineantur. Vix dici poteſt, quam ſæpe petulantiæ,

lascivíæ, malitiæque adeo juvenum ista vigilanti cura, e specula veluti excubante, caveri et occurri possit. In quo quidem haud scio, an a multis scholarum magistris graviter peccari dicam, qui ista dissoluta incuria, et socordi cura discipulos suæ, quicquid velint agendi, lubidini permittunt, et, si quid forte petulanter, inhoneste-que actum ab iis cognoverint, illico pugnos, virgasque expediunt. Quanto prudentius, juvenumque rationibus consultius erat, multis eorum delictis prudentia, curiosaque vigilantia caveri, quam in ea postea severe animadverti. Non plane inepte igitur egisse putandus est DIOGENES, qui, cum in scholam quandam ingressus pueros petulantius, ferociusque lascivientes offendisset, ad Præceptorem conversus, inquit: *Cur vero tu ita doces?* innuens nempe, per scholæ magistrum stare, quo minus modestiores, et a moribus politiores discipulos haberet. Bone DIOGENES, si hodie, ab inferis excitatus, in multas scholas nostras, ingressus esses, quoties tibi hæc cantilena eadem non sine quadam indignatiuncula canenda esset!

Illud quoque diligenter operam dare debent, quicunque munus instituendi, regundique adolescentes susceperunt, ut, quemadmodum morum venustorum, ita et munditiei, (non odiosæ istius, nimisque exquisitæ, fœminarum, formosos oculis venantium, propriæ, et quodammodo insitæ,) cum corporis, tum vestium amantes sint et studiosi. Nam ista dissoluta munditiei cura, ista agrestis in vestitu negligentia adolescentum diuturnitate temporis eam vim habet, ut, consuetudine contracta, adultiores etiam, et viri adeo facti, sordibus deformes, vestituque et toto cultu incomposito notabiles non sine risu, et contemptu hominum urbaniorum, et politiorum incedant. *Adeo in teneris consuescere multum est!* Sunt sane multi puerorum et adolescentulorum, qui suis sordibus, porcellorum instar, delectentur: qui, etsi ab aliis dotibus egregiis commendabiles sunt, tamen ob hanc cultus rusticita-

ſticitatem non facile favorem; et gratiam hominum politiorum, (et quis in horum cenſum his noſtris temporibus referri ſe non cupit?) conſequetur. Nam quis hominem, qui ob ſordes dentium, nunquam purgatorum, ob gravem animam, odoremque fœde exhalatum, ex iſta negligenti munditiei cura contractum, moleſtus et intolerabilis eſt, aut manibus, ſordium macula oppletis, veſtibusque hinc inde laceris incedit, aut crinibus hirſutis et erectis, vagisque per collum pendentibus horret, aut aliis quibusdam ſordium maculis inſignis conſpicitur, quis, igitur, iſtum hominem facile admittat, lubenter ſecum retineat, et vel alloquio dignetur? Iſti igitur immunditiei corporis, diſſolutæque cultus incuriæ ſtudio Præceptoris cavendum, contra ea elegantiæ honeſtæ, ingenuos adoleſcentes decentis, cura iis ſtudioſe cum voce, tum exemplo commendanda eſt. Ne dicam, illos de puerilibus corporibus et ſanis, mundisque vapores ad ſanitatem, producendamque adeo vitam multum valere, eamque ipſam inter cauſas non vanas referri, quod multi in ſcholis magiſtri ad crudam, vegetamque ſenectutem perveniunt: quæ obſervatio magni GESNERI (T. I. Opuſc. p. 61.) eſt, cujus, Doctoris quondam mei, memoria ſemper mihi erit ſancta. Ceterum, non alienum, puto, ab hoc loco erit, optimi illius NEANDRI verba hic ſubjungere, qui in hanc ſententiam de hac re aliquo loco diſputat: *Videndum eſt* Præceptori, *ut totus cultus* adoleſcentum, *vultus, geſtus, et habitus corporis ingenuam modeſtiam et verecundam indolem præ ſe ferat. Vt ſint elegantiæ obſervantiſſimi. Ne vacillent tibiis, nec ſint geſticuloſæ manus, ne mordeant labra, ſcabant caput, nec fodiant aures. Ne ambulando greſſus imitentur hiſtrionum, et quaſi fercula pomparum geſtantium: et quotiescunque gradum transferant, modulos quosdam ſervare videantur, qui greſſus, ut peſtis, fugiendus. Nec curſim nimis ambulent, nec lente nimis. Greſſus ſit probabilis, in quo tranquillitatis veſtigium: motus ſit purus et ſimplex. Nihil furatum, nihil adfectatum*

ctatum placeat. Motum natura informet: ſi quid autem in natura vitii eſt, emendet induſtria.

Quamquam autem Præceptori, omnes et ſingulos adoleſcentes, inſtitutioni ipſius, fideique commiſſos, æquabili amore complectendi, liberalique adeo diſciplina in officio continere cupienti, nihil acerbius eſt, quam triſtis puniendi neceſſitas: tamen, cum in frequenti adoleſcentum cœtu optandum magis, quam ſperandum ſit, non inveniri immorigeros, natura intemperantes, immodeſtos, obſtinatos, contumaces, frena mordentes, jugumque jactantes, officiique ſui negligentes, iſta triſtis pœnæ infligendæ neceſſitas vix ulla ratione evitari poteſt. Nunquam forte tam bene cum ſcholarum magiſtris actum eſt, quin in frequentiori diſcipulorum cœtu unum, et item alterum haberent, qui perverſa animi indole, noxia et crudeli matris indulgentia, et moribus, e prava conſuetudine corruptis, ad omnes graviſſimas, fideliſſimasque admonitiones et cohortationes ita obduruit, ut non, niſi diſciplinæ ſeveritate, in gyrum cogi, pœnisque ſui admoneri poſſe officii videatur. Itaque et diſciplinæ ſcholaſticæ leges, et ipſius ſalutis horum diſcipulorum ratio exigit hoc, ut, ſi omnes admonitiones amantiſſimæ, omnes cohortationes graviſſimæ, omnes corrigendi artes leniſſimæ fruſtra ſunt adhibitæ, acerbitate pœnarum ad officium ſuum cogantur. Non dormiat tum diſciplinæ ſeveritas, ſed Præceptoris auctoritas diſcipulos a licentia deterreat effreni. Nam, uti moroſa et triſtis auſteritas in Præceptore laudanda non eſt: ita diſſoluta comitas non ferenda, ne inde odium, inde contemptus erga Præceptores oriatur. Lenitas et mitis animus in Præceptore ita probandus eſt, ut adhibeatur, ſalutis ſcholæ cauſa, ſeveritas, ſine qua adminiſtrari ſchola non poteſt. Sed in pœnis ipſis etiam infligendis non una cautio eſt adhibenda, (de qua re paullo poſt dicetur,) neque ad ultimum hoc, tanquam extremæ neceſſitatis remedium,

prius

prius confugiendum, quam omnes aliæ artes molles, emendando, reducendoque ad officium diſcipulum aptæ, fruſtra ſunt conſumptæ. In quo quidem diligentiſſime commendatum Præceptoribus ſit ſapientiſſimum illud, diſciplinæque ſcholaſticæ regundæ accommodatiſſimum, præceptum SENECAE: (de Ira I, 5.) *Legum præſidem decet, quamdiu poteſt, verbis, et his mollioribus, ingenia curare, ut facienda ſuadeat; cupiditatemque honeſti et æqui conciliet animis, faciatque vitiorum odium, pretium virtutum: tranſeat deinde ad triſtiorem orationem, qua moneat adhuc, et exprobret: noviſſime ad poenas, et has adhuc leves, et revocabiles decurrat: ultima ſupplicia ſceleribus ultimis ponat, ut nemo pereat, niſi quem perire etiam pereuntis interſit.* Pauciores ſane eſſent adoleſcentuli immorigeri, et contumaces, ſi prudentius tractarentur, et raro ad graviores pœnas decurrendum eſſet, ſi Præceptores eos mature obedientiæ, obſequioque præſtando aſſuefacerent, iisque ſenſim quandam quaſi facilitatem parendi, ſtudiumque officii agendi inſtillarent. Quod quidem in plurimis juvenum animis effici poteſt, ſi ope auctoritatis, iis artibus, quas ſupra indicabamus, comparandæ, adoleſcentulis quendam non ſolum amorem, ſed metum etiam erga Præceptorem inſtillare ſtudemus, non ſervilem illum, et terrore pœnarum expreſſum, ſed liberalem, juſtisque Præceptoris meritis, virtutibusque debitum. Hæ duæ res ſæpiſſime Præceptoribus puniendi occaſionem eripient, manusque vindicatrices quaſi vincient, et diſcipulos modeſtiæ finibus ita continebunt, ut non facile ſeveritati dent locum. Quodſi autem quidam immorigeri et contumaces ſint, ut in tam numeroſo adoleſcentum diverſi et ingenii, et animi cœtu eſſe ſolet, (cum ne ipſa quidem Servatoris noſtri ſchola a talibus diſcipulis plane libera fuerit,) qui, lenibus emendandi remediis h. e. admonitionibus fideliſſimis, conſiliis prudentiſſimis, cohortationibus, quin comminationibus graviſſimis ſusque deque habitis, ad officium ſuum perduci ſe non patiuntur, et diſciplinam, quam intemeratam ſervari

vari totius ſcholæ intereſt, exemplo ſancire Præceptores cogunt, ii vero pœnis ſunt coercendi. Nam neque exſultans juvenilis licentia certius continetur, quam diſciplinæ paullo acerbioris vinculis injiciendis, et adſtringendis, neque Præceptoribus vel mitiſſimi ingenii ita lenibus eſſe licet, ut, poſthabitis legibus et divinis, et humanis, juvenilem petulantiam impune ferocius exſultare, pati poſſint. Sed in ipſa triſti pœnæ paullo acerbioris infligendæ neceſſitate duo ſunt curioſe, et propemodum religioſe obſervanda: quorum alterum eſt hoc, ut diligentem quaſi delectum et ingeniorum, et delictorum ipſorum faciamus, neque uno omnia numero, locoque habeamus, pœnisque iisdem coerceamus. Nam, quæ e juvenili animi levitate, ex oſcitantia, ex inſcitia, aut aliis hujusmodi fontibus promanant, in ea expeditis ſtatim virgis, aut aliis ejusmodi tremendi officii admonendi magiſtris animadvertere velle, id vero Præceptoris eſſet biloſi, parumque prudentis, neque ſane digni, qui, cum ſe ipſum nondum regere didicerit, ab adoleſcentum literarum ſtudiis, moribusque regundis eſſet. Neo nimis duriter ſunt juvenum ingenia, præclara præſertim, tractanda, ne inſita vis, omni ratione fovenda, et lenitate admonendi, corrigendique regunda, extinguatur, præſertim cum juvenes ſæpe lapſu ipſo, ſi amica manu tollantur, ad cavendum in poſterum fiant cautiores. Bene in hanc rem ille ingenii politiſſimi POLITIANVS in quadam ad Laurentium Medicem epiſtola, exhibita etiam a GRVTERO in *Lampade Critica:* (T. I. p. 122.) *Vt boni agricolæ nihilo minus noxias frugibus plantas, herbasque convellere atque exſtirpare ſolent, quod fœcundi ſoli ingenium ex illis animadverterint: ita profecto parentes ac magiſtros nihilo magis teneris adhuc vitiis indulgere oportet, quod ea optimæ, ingenuæque naturæ documenta præbuerint.* Quid igitur? dicat quis: nullæ in juvenili petulantia liberius exſultante, et ferociente adeo pœnæ paullo acerbiores adhibendæ ſunt? Sunt vero: ferocius enim tum juvenilis licentia exſultat, ubi ſuæ malitioſæ petulantiæ impunitatem propoſitam videt. Ibi autem

tem iſtæ pœnæ graviores adhibeantur, ubi contumacia non expugnanda, malitia nullis artibus coercenda, injuria violenta, deteſtandum mendacium, calumniæ, manus tagaces, impia cultus divini, rerumque ſacrarum contemptio et profanatio, et hujus generis vitia alia, quæ has duras, extremasque emendandi artes efflagitant. In levibus autem delictis, v. c. ſi memoria non conſtiterit, aut ſi oculus parum agilis in legendo hæſerit, aut ſi juvenilis animi levitas parum deliquerit, aut ſi diligentia in litteris colendis paullo remiſſior facta fuerit, ſtatim pœnas acerbiores, virgarum inprimis, baculorumque miniſterio (quod pœnæ genus illiberale, quoniam homine ingenuo indignum, atque adeo non facile adhibendum eſt) exercere velle, id vero plagoſi et bilóſi Orbilii, non prudentis Præceptoris, et eſt, et habetur. Sapienter in hanc quoque rem diſputat QVINCTILIANVS, admirabilis ille juventutis prudenter inſtituendæ magiſter, (Lib. I. Inſtitutt. 3, 14.) *Cædi diſcentes, quamquam et receptum ſit, et Chryſippus non improbet, minime velim. Primum, quia deforme atque ſervile eſt, et certe, quod convenit, ſi ætatem mutes, injuria. Deinde, quod, ſi cui mens tam illiberalis eſt, ut objurgatione non corrigatur, is etiam ad plagas, ut peſſima quæque mancipia, durabitur. Poſtremo, quod ne opus quidem erit hac caſtigatione, ſi aſſiduus ſtudiorum exactor adſtiterit. Nunc fere negligentia pædagogorum ſic emendari videtur, ut pueri non recte facere, quæ recta ſunt, cogantur, ſed cum non fecerint, puniantur.* Ad quem locum magnus GESNERVS: *Vtinam ex alta turri concionari quis omnibus, qui usque quaque ſunt, pædagogis hoc poſſit. Non condonanda ſunt parvis pueris peccata: revocandi etiam plagis a pernicie, quibus per imbecillitatem judicii aliter conſuli non poteſt. Sed non putandum eſt, poſſe plagis effici, ut diſcat puer, ut diligens ſit. Orbilii plagoſi majorem partem puerorum corrumpunt, ut ſtudia oderint ante, quam norunt. Pulſate, ſi ita videtur, petulantes, coercete verberibus maledicos: ſed cunctantes, pigros, negligentes alia quavis ratione excitate.* Conferatur in eandem

 ſenten-

ſententiam Plutarchus *περὶ παίδων ἀγωγῆς*, p. 14. *Editionis Stephanianæ.*

Alterum in pœnis expetendis diligenter tenendum, ſequendumque, eſt hoc, ut, ſi quid commiſſum ab uno et item altero fuerit, quod lex diſciplinæ inultum non patitur, non iracundiæ æſtu abrepti ad puniendum feramur, nec pœnas extemplo irrogemus et repræſentemus, ſed re prius probe deliberata, et, ſi neceſſe videatur, cum Collegarum conſilio etiam communicata, ne indignationis, iræque ardore in transverſum auferamur, et, dum peccata aliorum punire volumus, puniendo ipſi peccemus. Nam, ut recte SENECA (de Ira I, 15.) *cum ira delictum animi ſit: non opportet peccata corrigere peccando.* Nota eſt ſapiens, et SOCRATE digna vox, qui ſervo, a quo graviter læſus fuerat, *cæderem te*, ait, *niſi iraſcerer.* Sapiens profecto, et imitatione dignum magni animi exemplum! Neque ſane ad coercitionem errantium, et delicta committentium adeo irato caſtigatore opus eſt. Hanc prudentiæ regulam qui in caſtigando non ubique ſequitur, et indignitate delictorum commotus, iratusque ad pœnam exigendam non tam accedit, quam fertur, is nunquam ſane illam, Peripateticis tantopere laudatam et commendatam, *mediocritatem*, quæ inter nimium, et parum eſt, tenebit. Neque minus diligenter in pœnis ſumendis curandum, videndumque eſt, ut ne maior pœna, quam culpa, ſit, aut in contumeliam, ignominiamque illius, qui coercendus eſt, decreta videatur, ſed ut omnes intelligant, hanc pœnam ipſius ſcholæ ſalutem, (quæ ſuprema Lex et eſt, et habetur) exigere, et ad commilitonum admonitionem ſaluberrimam, utilitatemque referri, neque aliud, quam caſtigati utilitatem, quæri.

Sed nunc indicandum eſt conſilium, quo ad ſcribendum, quicquid hujus prolusionis eſt, animum adjecerimus. Nempe producendi ſunt VI erectæ indolis, bonæque ſpei juvenes, qui in memoria diei natalis CCXV. Illuſtris

Digitized by Google

luſtris Moldani noſtri redeuntis pie recolenda ſuæ qualiscunque dicendi facultatis ſpecimina edant. Dicent autem latine ſuo quisque ordine et loco

I. BENIAMIN GOTTHELF BEVTLERVS,
Buckavienſis Saxo.

De diligenti diſciplina ſcholaſtica, luculento bonæ inſtitutionis documento.

II. CHRISTIANVS GOTTLIEB HVHNIVS,
Grimenſis Miſnicus.

De diligenti diſciplina ſcholaſtica, comite inſtitutionis neceſſaria.

III. CHRISTIAN. BENIAMIN QVELLMALZIVS,
Burckhardtsheynenſis Miſnicus.

De diſciplina ſcholaſtica diſſoluta, non fallaci inſtitutionis juvenum ſigno.

IV. CAROLVS GOTTFRIED HOFMANNVS,
Vitæbergenſis Saxo.

De diſciplina ſcholaſtica remiſſa et molli, juvenibus grata illa quidem, ſed perquam perniciosa.

V. IOANNES FRIDERICVS HAVPTMANNVS,
Lubenavienſis Luſatus.

De honeſto juvenum pudore, optimo diſciplinæ magiſtro et cuſtode.

VI. ADAMVS MICHAEL BIRCKHOLZIVS,

Prettinenſis Saxo.

De mutuo Præceptorum, et diſcipulorum amore, magno inſtitutionis, diſciplinæque adjumento.

Ad quos benevole audiendos ut a. d. XIV. Septembr. hora matutina IX. ſacris finitis, in Auditorio noſtro maiori frequentes conveniant, qui bonis literis, noſtroque adeo Moldano favent, humaniſſime et officioſiſſime rogamus. P. P. in Illuſtri Moldano a. d. IV. Septemb. A. R. S. MDCCLXV.

AE.

LZIVS,

more, ma-
ento.

ptembr. ho-
oſtro maio-
, noſtroque
iſſime roga-
mb. A. R. S.

VI. ADAMVS MICHAEL BIRCKHOLZIVS,

Prettinenſis Saxo.

De mutuo Præceptorum, et diſcipulorum amore, magno inſtitutionis, diſciplinæque adjumento.

Ad quos benevole audiendos ut a. d. XIV. Septembr. hora matutina IX. ſacris finitis, in Auditorio noſtro maiori frequentes conveniant, qui bonis literis, noſtroque adeo Moldano favent, humaniſſime et officioſiſſime rogamus. P. P. in Illuſtri Moldano a. d. IV. Septemb. A. R. S. MDCCLXV.

AE.

LZIVS,

more, ma-
ento.

ptembr. ho-
oſtro maio-
, noſtroque
iſſime roga-
mb. A. R. S.

VI. ADAMVS MICHAEL BIRCKHOLZIVS,

Prettinenſis Saxo.

De mutuo Præceptorum, et diſcipulorum amore, magno inſtitutionis, diſciplinæque adjumento.

Ad quos benevole audiendos ut a. d. XIV. Septembr. hora matutina IX. ſacris finitis, in Auditorio noſtro maiori frequentes conveniant, qui bonis literis, noſtroque adeo Moldano favent, humaniſſime et officioſiſſime rogamus. P. P. in Illuſtri Moldano a. d. IV. Septemb. A. R. S. MDCCLXV.

AE.

LZIVS,

more, ma-
ento.

ptembr. ho-
oſtro maio-
, noſtroque
iſſime roga-
mb. A. R. S.

VI. ADAMVS MICHAEL BIRCKHOLZIVS, Prettinenſis Saxo.

De mutuo Præceptorum, et diſcipulorum amore, magno inſtitutionis, diſciplinæque adjumento.

Ad quos benevole audiendos ut a. d. XIV. Septembr. hora matutina IX. facris finitis, in Auditorio noſtro maiori frequentes conveniant, qui bonis literis, noſtroque adeo Moldano favent, humaniſſime et officioſiſſime rogamus. P. P. in Illuſtri Moldano a. d. IV. Septemb. A. R. S. MDCCLXV.